



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ad Leonem X. Pontificem Maximvm

[Straßburg], 1519

VD16 L 3409

Conclusio XLI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34717

M. L. RESOLUTIONES DE VIRTUTE IN
ram Agatham, & quidam sancti patres Romam uisitarunt, quod
non fecerint curiositate exitus probauit. Proinde mihi placet
in istis facultatibus, quod etiam uota talium peregrinationum
commutentur in alia opera, atque utinam gratis commutarentur.

C O N C L U S I O X L I.

Caute sunt ueniae Apostolicae predicandae, ne populus fal-
se intelligat eas praeferrí, caeteris bonis operibus charitatis.

E G O sic dicere ad populum, Ecce fratres, scire uos oportet, quod
triplex est genus bonorum operum, quod expensionibus pecuniae fie-
ri potest. Primum & ante omnia, Si quis pauperibus donet, aut proxi-
mo egenti mutuet, & omnino in quacumque necessitate laboranti sub-
ueniat. Hoc opus sic est agendum, ut etiam intermittendae sint stru-
cturae Ecclesiarum, & omittendae oblationes ad uasa & ornamen-
ta Ecclesiarum. Postquam hoc fuerit factum, & non restat qui egeat, Tum
secundum erit, nostras & in nostris terris Ecclesias & hospitalia,
& publicae utilitatis estructuras primum iuuare. Postquam autem id fuerit
factum, tum demum si placet, potestis & pro indulgentiis redimens-
dis tertio loco dare. Quia in primo est mandatum Christi, in no-
uissimo illo nullum mandatum. Si dixeris, Ista praedicatione pa-
rum colligetur pecuniarum per indulgentias. Respondeo, Credo
Sed quid hoc mirum, cum Pontifices per indulgentias non quaerant
pecunias, sed salutem animarum, ut patet in istis, quas dant in
consecrationibus Ecclesiarum & altarium. Ideo non uolunt per suas
uenias impedire meliora, sed promouere potius charitatem. Ego
libere dico, quod qui aliter docet populum, & hunc ordinem per-
uertit, non doctor, sed seductor populi est, nisi quod populus pro-
pter peccata sua meretur aliquando non audire ueritatem recte praedicari.

C O N C L U S I O X L I I.

Docendi sunt Christiani, quod papae mens non est, redemptionem
ueniarum ulla ex parte comparandam esse operibus misericordiae,

Papam intelligo, ut supra dixi, prout sonat personam publicam,
id est, ut per Canones nobis loquitur, Non enim sunt Canones
qui praedicent ueniae dignitatem comparari operibus misericordiae.

Patet autem Conclu. Quia praecipuum dei infinita dignitate
praestat, eo quod per hominem quoque permittitur, ac nullo mo-